

AMICE LECTOR,

Nondum abierunt multi anni, intra quos apparavi tibi Siciliam Paruta ab prima editione locupletatam notabili nomismatum augmento: tunc etiam me tibi obstringens spondensque apparatus alium illustris alterius memoria, nunc adsum, ut satis ample promissum illud meum praestem, proferendo imagines antiquarum Gemmarum. Sunt sculpturae & varii lapides, in quibus altero tanto splendent vestigia antiquitatis, quam sunt ipsae figurae illis in sculpta cum admirabili industria. Quippe vivens Roma usque ab Pontificatu Urbani VIII, quando Gloriosissimus ille & Sapientissimus Pontifex suo exemplo revocabat seculum nostrum ad disciplinas veteres, honoratus fui servitio Eminentissimi & Reverendissimi Principis Cardinalis Francisci Barberini, dignissimi eo Nepotis meique perpetui Benefactoris & Patroni, qui etiam praeerea ad duplicandam benignitatem suam, dignatus fuit referre me in familiam ejusdem Pontificis. Ex quo tempore industriam omnem impendi, ut ex ruderibus eriperem statuas, & inscriptiones, & nomismata, & locum illis praeberem in celebri palatio & bibliotheca Barberina. Neque haec tantum mea cura fuit adunare marmora, metalla & eruditas sculpturas, sed & multiplicem copiam eotyporum & variorum lapidum, quae omnia in pinacotheca ejusdem bibliothecae sunt satis rara monumenta. Gemmis illis, quas Graeci & Romani & melius moratae gentes gestabant in annulis & ornamentis suis, non modo se instruebant Nobiles & alii insignioris fame viri, sed etiam Reges & maximi Imperatores, ut fecerunt Alexander, Ptolemaeus, Mithrida-

†

thrida-